

Quaeritur adhuc, num *interpretatio praeterdogmatica* sit licita? i. e. ea, quae loco, quem plerique dogmaticum habent, dogma contineri negat, veritate tamen dogmatis alioquin (ex aliis locis biblicis vel traditione) certi concessa. Talis interpretatio esset e. g. negare, verbis illis Job. 19, 25—27.: »Seio quod redemptor meus vivit, etc.« resurrectionem corporum, alias (Dan. 12, 2. II. Mach. 7, 9. Joan. 11, 24. I. Cor. 15, 21. 35. sqq. 51. sqq. etc.) certam, significari. — Potestas hujusmodi interpretationis ex eo pendet, quis et quali auctoritate locum aliquem dogmaticum declaraverit, scil. utrum ejus sententia sit obligatoria necne.

4. *Rationem* regulae interpretationis catholicae affert concilium his verbis: *cujus (ecclesiae) est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum*. Non dicitur interpretari, sed judicare; ecclesia enim rarissime Scripturam interpretatur, et neque tunc via hermeneutica (non commentarium scribendo), sed traditionem exegeticam, vel sensus cum fide congruentiam pronuntiando. Solet autem ecclesia interpretationes privatorum doctrinales judicare. Hoc autem ecclesiae jus, ex munere custodis ac praeconis revelationis et controversiarum judicis fluit.

5. *Locus et usus* interpretationis catholicae indicatur verbis: *etiamsi hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendae forent*. Decretum ergo non tantum ad interpretationes libris editas pertinet, sed etiam ad privatas et in scholis vel ex ambone traditas.

6. *Sanctio* decreto adjicitur: *Qui contravenerint, per ordinarios declarentur, et poenis a jure statutis puniantur*. Qui ergo contra sententiam ecclesiae et traditionem Scripturas interpretantur, primum quidem ad placita retractanda invitantur; si autem non paruerint, pro haereticis habentur, et iisdem atque hi poenis tenentur. Unde patet, decretum hoc non esse mere disciplinare, sed dogmaticum.

### 3. — *Regulae* exegesis catholicae.

1. Ubi ecclesia sensum loci *expresse (directe vel indirecte)* manifestavit, interpretis catholici est *a)* interpretationem ecclesiae proponere ejusque vim exponere, *b)* traditionem pro ea afferre, *c)* eam arte hermeneutica probare, seu ejus cum legibus hermeneuticis convenientiam demonstrare et contra objecta defendere.

2. Ubi ecclesia *implicite* sensum loci declaravit, interpretis catholici est *a)* sensum doctrinae vel praxi ecclesiae repugnantem rejicere, *b)* sensum doctrinae vel praxi ecclesiae solum con-

sentaneum pro vero accipere et via hermeneutica probare ac tueri, *c)* ex pluribus sensibus cum doctrina vel praxi ecclesiae convenientibus illum asciscere, quem firmiora argumenta hermeneutica suadent.

3. Ubi ecclesia sensum loci *nullo modo* manifestavit, sententia Patrum investiganda. Si eorum consensus unaminis in aliquo sensu apparet, hic accipiendus est et rationibus hermeneuticis confirmandus. Si Patres aliquid unanimiter reprobant at in ipsa explanatione non consentiunt, tunc sententiam ab iis rejectam sequi non licet, sed aliae ac novae sententiae liberae manent.

4. *Si et ecclesiastica declaratio et Patrum consensus desit*, tunc *a)* analogia fidei consulenda, seu interpretatio cum ea conferenda, *b)* sensus analogiae repugnans rejiciendus, et novum studium loci hermeneuticum instituendum, *c)* sensus qui solus fidei analogus est, recipiendus et via hermeneutica probandus, *d)* ex pluribus sensibus fidei congruentibus ille eligendus, qui praeceptis hermeneuticis rationalis magis convenit.

5. Si sensus loci *neque ab ecclesia, neque traditione, neque analogia fidei* definitur, legibus hermeneuticis rationalis utendum est. Insuper interpret catholicus semper promptus esse debet ad interpretationem authenticam, si futura sit, reverenter accipiendam, probandam ac defendendam.

### *Cautelae:*

1. *Nunquam licet in gratiam sensus ecclesiastici vel traditi regulas hermeneuticis rationalis violare*. Sensus enim catholicus non fallaciis, sed solidis argumentis probandus est, et quum revelatio rationi, veritas revelata veritati hermeneuticis ac Spiritus S. sibi ipsi repugnare non possit, sophismatibus non indiget. Vera ergo argumenta, sine dubio existentia, quaerenda.

2. *Interpretatio authentica ecclesiastica ut talis non est adhibenda* *a)* adversus incredulos, Judaeos ac protestantes, qui ecclesiae auctoritatem non agnoscunt. Interpretatio autem tradita saepe etiam pro illis vim doctrinalem habet. *b)* *Ad probandam auctoritatem ecclesiae et ipsam authenticam interpretationem*, ne petitio principii demonstrationi subrepat. Hac in re ergo hermeneutica rationalis et interpretatio tradita locum habet.

## § 115.

## Defensio interpretationis catholicae.

Multum protestantes conquesti sunt interpretatione authentica ecclesiam Scripturae praeponi, interpretationem doctrinalem superfluum reddi, studia biblica coarctari ac tolli, rationi humanae libertatique examinis injuriam fieri, imo indoctas antiquorum interpretationes et fabulas fidelibus ac scientiis imponi. Quarum vanitas calumniarum ut appareat, singillatim eas examinemus.

1. Interpretatione authentica *ecclesia nequaquam praeponitur Scripturae*. Id enim, quod aliquis interpretatur, eo ipso potiore se agnoscit et sibi anteponit. Revera ecclesia Scripturam ut legem ac verbum Dei veneratur et honorificentissime tractat.

2. Interpretatio authentica *doctrinalem superfluum non reddit*. Nam ecclesia Scripturam nisi in rebus fidei et morum non interpretatur, et in his ipsis tantum rarissime, si graves controversiae ac periculosi errores de sensu existant. Imo ecclesia neque tunc proprie interpretatur, sed iudicat, interpretationem ipsam theologiae permittens. Horum ergo est sensum ecclesiasticum tum testimonio traditionis, tum arte hermeneutica demonstrare ac defendere. Revera paucissimi sunt loci ab ecclesia explicati. Plurimorum locorum nullam ecclesia interpretationem authenticam edidit, nec unquam ob defectum traditionis consentientis dabit; in hoc ergo tam lato campo eruditus, salva utique implicita ecclesiae declaratione et analogia fidei, libere vagari licet atque operari.

3. Neque interpretatio authentica *studia biblica impedit vel perimit*; imo constat ea ab ecclesia commendata ac promota inter catholicos semper pro conditione temporum floruisse. Profecto studia biblica in theologia catholica tantum momentum non habent, quantum in theologia protestantium; quum enim catholicis S. Scriptura unicus fons atque unica norma fidei non sit, magna cura atque opera in alia quoque studia confertur et studia grammatica, historica, archaeologica ac geographica saepe protestantibus ceduntur. Nempe horum neglectum, qui inter multos catholicos pro dolor invaluit, minime probamus, — sed neque ecclesia probat.

Ecclesia profectum studiorum biblicorum maxime exoptat, sed secundum verba Vincentii Lirinensis »ita tamen, ut vere profectus

sit ille fidei, non permutatio.« (Commonit. c. 28.) Jam concilium Tridentinum »ne caelestis ille ss. librorum thesaurus, quem Spiritus S. summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat« statuit et decernit, ut constituerentur ubique locorum, qui idonei essent ad S. Scripturae expositionem et interpretationem, et tam in seminariis, quam in monasteriis ac gymnasiis cathedrae S. Scripturae instituerentur. (Sess. V. decr. de reform. c. 1.) Etiam nuperrime S. P. Leo XIII. in encyclica *Provid. Deus* sapientiae plena studia biblica enixe commendavit. Et si ecclesia ante protestantes studia biblica adeo neglexisset, unde primi reformatores, qui certe non alias, quam catholicorum scholas frequentaverant librisque eorum usi erant, magnam illam, qua gloriantur, Scripturae scientiam didicissent? Namque studia biblica sunt positiva, quae ingenio quantumvis magno et acuto sine magistro et fonte excogitari non possunt. Denique meminerint omnes, rationalismum biblicum, verum S. Scripturae destructorem, non ex catholicismo sed — ex protestantismo natum esse.

4. Maxime protestantes *libertati examinis* timent *rationisque humanae jura* deplorant. Sane, si per libertatem indagacionis effrenata opinionum licentia intelligitur, non negamus eam authentica interpretatione coerceri, imo asserimus id saluberrime et prudentissime fieri. At si libera indagatio grave ac sobrium significat studium revelationis cognoscendae, certo certius est, illud interpretatione authentica minime impediti, quin potius juvari; perinde ac libertas eundi via ac duce, et libertas scientiae magistro explicante non impeditur. Errandi licentia utique coercita est; sed hoc verae scientiae multum prodesse nemo non videt.

Itaque interpretatio authentica est frenum temeritati et errori injectum. Impedit hominem, sicut viatorem tabula index vel cancelli impediunt, ne a via aberret neve in perniciem ruat. Si interpretatio authentica injuriam facit menti humanae, tunc etiam logica, quae legibus suis mentem ab errando impedit, eam in unam viam tutam cogit, et resistentibus insaniae notam inurit, injuria dicenda est et tyrannis plane maxima.

Optime res similitudinibus illustratur ac probatur. Si S. Scriptura lucerna est, ecclesia eam accendit. Si via veritatis est, ecclesia est lux viam monstrans et illuminans. Pharus est ecclesia, cursum navium regens navemque a scopulis servans. Interpretatio ecclesiae est ancora, quae nos in doctrina fidei morumque jactari ac fluctuare non sinit. Filum Ariadnaeum est, quod exegetam e labyrintho sententiarum atque errorum educit. Si interpretatio Scripturae similis est flumini, quod

dum alveo continetur accolis multorum bonorum fons est, erumpens autem causa egestatis atque interitus: tunc interpretatio authentica est moles fluctibus opposita. Catholicus in lumine interpretationis authenticae Scripturam legens, eam non per vitrum coloratum vel distortum speciem rerum depravans aspicit, sed oculis quasi armatis; et si forte aliud, quam naturales animi oculi, videat, certe ratio humana in causa est, quae profunda Scripturae penetrare non potuit.

5. Quae de *ignorantia et credulitate antiquorum* dicuntur, partim nimia ac falsa sunt, partim ad rem non pertinent. Multos Patrum et scriptorum antiquorum etiam linguarum biblicarum, historiae atque archaeologiae peritissimos fuisse constat. Et eruditionem scholae in plurimis compensavit patriae, loci ac temporis propinquitas et veterum fontium praesentia. Et quod maximum est, abundans adhuc et purus manabat rivus traditionis apostolicae, quae apparatus scientiarum minus necessarium reddidit. Opiniones autem et conjecturae antiquorum diversae, privatae ac profanae, et homiliae, pietatis magis quam eruditionis causa dictae, atque oratoria quadam licentia ornatae, normae interpretationis non sunt.

#### § 116.

##### Textus interpretandus authenticus.

1. — Erudita Scripturae interpretatio textum originale sequi, vel saltem versionem lectam cum eo conferre debet. Textus enim originalis proximum est opus Dei, ergo revelationem integerrimam exhibet; quum versiones, per mentes hominum non inspiratorum et verba aliena saepe incongrua translatae, vim textus originalis raro adaequant. Ad rem S. Hieronymus dicit: »Multo purior manare credenda est fontis unda, quam rivi.« (Adv. Helv.) Versiones etiam antiquae, imprimis Alexandrina, Syriaca (Pešito) et paraphrases Chaldaicae (targumim) multum conferunt tum ad lectionem originalem restituendam, tum ad interpretationem antiquorum cognoscendam, et ita magnam utilitatem interpreti afferunt.

Sed licetne interpreti catholico originale Scripturae textum et antiquas versiones consulere atque explanare? Nempe ecclesia in *concilio Tridentino* versionem Vulgatam authenticam declaravit et ejus usum praescripsit his verbis:

»*Insuper eadem sacrosancta synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editio-*

*nibus, quae circumferuntur sacrorum librorum, quatenus pro authentica habenda sit, innotescat, statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat vel praesumat.*« (Sess. IV. Decr. de edit. et usu SS. LL.)

Quidam catholici vim hujus decreti ultra intentionem concilii et justos terminos extenderunt. Nonnulli Vulgatam cum autographis textus originalis per omnia congruentem, et ab omni vel levissimo vitio etiam ad fidem moresque non pertinente immunem esse autumarunt. (Ita fere Bas. Poncius, Ludov. de Tena Hispani.) Alii solam Vulgatam textum dogmaticum, ex quo argumenta invicta fidei morumque depromi possint, habuerunt. (Ita Melch. Canus, et fere ita Dieringer, Kleutgen.) Aliqui Vulgatam infallibilem fidei regulam imo inspiratam censuerunt. (Lud. de Tena et nonnulli Hispani.) E contrario protestantes hoc decreto catholicis textum originalem et antiquas versiones interdici, vel saltem ea superflua reddi et exegesim a publica doctrina arceri dictitant. (Keil, De Wette-Schrader.) Quae omnia quam falsa sint, mox apparebit.

Primum quidem monemus, jus censurae atque approbationis versionum ex potestate ecclesiae docendi et leges dandi, nec non ex infallibilitate ac Spiritus S. assistentia consequi. Textum autem Scripturae authenticum, et quidem facile accessibile, uniformitas, constantia et securitas doctrinae necessarium facit. Ceterum ipsi protestantes in plerisque regnis suas versiones saltem juridice authenticas seu praescriptas habent.

2. — Approbatio Vulgatae *auctoritati et usui textus originalis et versionum antiquarum nihil detraxit*. Nam

a) *Occasio et finis* decreti fuit ex multis versionibus Latinis<sup>1</sup> ab omni errore non semper liberis, imo a protestantibus corruptis eam, quam omnes tuta fide in praxi (theologica, liturgica et homiletica) sequi possint, praescribere, et Vulgatam a protestantibus palam contemptam defendere. De textu originali et versionibus antiquis non agebatur, ideo nec concilium eorum in decreto mentionem facit, sed de solis Latinis versionibus loquitur. Vetus ergo eorum auctoritas atque authenticitas permansit, et ex iis vera invictaque argumenta biblica etiam dogmatum ducere licet.

<sup>1</sup> Versiones Latinas ante concilium Trid. ediderant: D. Erasmus Rotterodamus an. 1516., Santes Pagninus Lugduni 1526—1528. (versio bona sed verborum tenax), Cajetanus in commentario suo; deinde protestantes: Seb. Münster 1534., Biblia Tigurina 1543., Seb. Castalio 1551.

b) *Textus originalis per se*, et ob usum Christi *authenticus est*, dummodo sit, saltem in essentia, incorruptus. *Versio Alexandrina* usu apostolorum, antiquorum conciliorum et ecclesiae orientalis, imo etiam occidentalis primorum saeculorum authentica probata est, quatenus integra. Similiter *versiones Itala et Peřito*, longo ecclesiarum usu, etsi non decreto synodali, sancitae, dummodo sint quoad essentiam incorruptae, authenticae manserunt. Imo nec *aliae* praeter *Vulgatam Latinae versiones* reprobantur, sed tantum ab usu publico arcentur.

Usus textus originalis et antiquarum versionum licitum esse, et ex iis firma argumenta dogmatica depromi jam eo apparet, quod ecclesia (etiam novissime S. P. Leo XIII. in encycl. *Provid. Deus*) scientiam linguarum Hebraicae et aliarum, certe non ad profanum finem, commendavit et commendat. Ipsa ecclesia hodie quoque in martyrologio (25. Decembr.) computationem versionis Alexandrinae sequitur. Et si sola *Vulgata* authentica esset, tunc Graeci et Syri et alii orientales versione authentica plane carerent. Revera theologi catholici etiam post concilium Trid. textu originali antiquisque versionibus in exegesi usi sunt, et *Vulgatam* ipsosque locos hujus dogmaticos ex illis corrigebant, nemine reclamante vel prohibente. Summus Pontifex Leo XIII. in encycl. *Provid. Deus*, postquam *Vulgatam* argumentum et exemplar interpretationis ponendum esse monuit, sequentia addit: »Neque tamen non sua habenda erit ratio reliquarum versionum, quas Christiana laudavit usurpavitque antiquitas, maxime codicum primigeniorum. Quamvis enim ad summam rei quod spectat, ex dictionibus *Vulgatae* Hebraea et Graeca bene eluceat sententia, attamen si quid ambiguit, si quid minus accurate inibi elatum sit, inspectio praecedentis linguae suasore Augustino, proficiet.« Regulae autem Indicis (tit. I. cap. II. n. 5.) usum textus originalis et versionum antiquarum ab ipsis acatholicis publicatarum iis, qui studiis theologicis dant operam, permittunt.

c) Concilium non de docta interpretatione, sed de *lectione publica et interpretatione practica* loquitur, in quibus linguae originales et antiquae, partim mortuae partim alias difficiles utique adhiberi nequeunt. In *scholis* autem exegeticis textum originalem atque antiquas versiones legere et explicare licet. (Lectio enim non significat praelectionem scholarem.)

3. — *Vis autem approbationis Vulgatae* haec est.

a) *Versio Vulgata* non sic authentica declarata est, quasi *verba originalia perfecte reddat, eorumque vicem* omnino suppleat, nec quod *optima* sit versio possibilis, nec vero quod ab omni

vicio versionis vel transcriptionis etiam levissimo sit *immunis*. Ipse enim Hieronymus saepe queritur multa ob paupertatem linguae Latinae bene reddi non potuisse. (In Gal. 5, 18. In Ephes. 1, 4. 2, 14. etc.) Neque textus quo usus est, a falsis lectionibus plane vacuus fuit. Quodsi *Vulgata* a concilio (Sess. IV. Decr. de can. script.) norma canonis constituitur, id tantum ad partes substantiales et pericopas, non autem ad singula ejus verba pertinet.

b) Concilium *Vulgatam* nonnisi dogmatice et juridice authenticam declaravit. *Dogmatice* scilicet eo sensu, quod verus sit revelationis fons, immunis ab omni errore dogmatico et morali, eandem doctrinam fidei morumque continens ac textus originalis, quapropter tuto, sine periculo erroris in theologia et praedicatione verbi adhiberi possit. *Juridice* (disciplinarily) autem eo sensu, ut sit textus aequalis, generaliter receptus, quasi officiosus, a quo sine justa causa et ecclesiae auctoritate in usu publico recedere, et ita fideles in periculum erroris ac scandali adducere non liceat.

c) Decretum tantum praecipit, ut *Vulgata* authentica habeatur, et vetat, ne ea rejiciatur; nequaquam autem imperat ubique et semper ea uti. Praecipitur autem ejus usus in publicis lectionibus et disputationibus, ergo ubi Scriptura publice latine praelegitur, vel ubi theologia in publico tractatur, item in praedicationibus et expositionibus, idest in usu homiletico. In his ergo alia Latina versio interdicitur, non autem usus textus originalis vel antiquae alicujus versionis.

Ratio autem decreti adducitur longus tot saeculorum usus. Deus enim permittere non potuit, ut ecclesia usu suo dogmatico et liturgico versionem essentialiter falsam ac periculosam sanciret.

Ita concilii decretum interpretantur: Pallavicini, historiographus concilii, deinde Andreas Vega unus ex concilii theologis consiliariis, Cervinus cardinalis a S. Cruce, legatus pontificius et sessionis illius praeses (postea summus pontifex sub nomine Marcelli II.), R. Bellarminus, Alph. Salmeron et Jac. Laynez doctissimi theologi, qui concilio intererant. Idem sentiunt Melchior Canus, Did. Payva de Andrada et alii ejus aetatis theologi.<sup>1</sup>

<sup>1</sup> *Andr. Vega* dicit: »Synodus non approbavit menda, quae linguarum periti et in sacris litteris mediocriter versati in ea (*Vulgata*) deprehendunt. Nec eam tamquam de coelo delapsam adorari voluit. Interpretem illius sciebat non fuisse prophetam. Ac proinde nec cohibere voluit studiosorum linguarum industriam, qui docent, melius potuisse aliqua verti.« »Sed in